Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

Martius

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library

j. 5. 64.

MARTIVS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

M

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Maximilianus &c.

Archiepo Strigoniensi

LXVI. 265 Quoniam Sac. Cæs. Mtas Dominus ac Genitor noster obseruadiss., ad ea, quæ de psenti conuentu uestro, ob deliberationem futuri prouincialis Regni Hungariæ Concilij, instituto, Nobis perscripta sunt, Mtis Suæ sententiam Deuotni tuæ aperiat: Nos quidem ad cunctos Deuotnis tuæ Cöepiscopos idipsum perscribere superuacaneum arbitrati sumus - Vehementer autem miramur qua nam de causa seu cuius etiã instinctu in tam arduo tamq; difficili negotio tua non minus quam reliquorũ Cöepiscoporum tuorum Deuotnes adeò præpperam festinationem illam susceperint: præsertim cum Nobis haud constet in alijs totius Christianitatis Regnis et prouincijs hac in parte quicq; adhuc actum tentatumue esse: Vt interim taceamus, quòd grauibus de causis non abs re fore uideatur, Si Deunes Væ quid ab alijs propinquioribus psertim prouincijs primò omnium seper negotio tanti momenti actum

foret, rectè cognoscerent, In quibus omnibus tamen admonitioni Cæsareæ nos breuitatis gra prorsus inhæremus.

Porrò autem Deuot.nem T. scire uolumus, Nobis innotuisse, Ipsam non adeò pridem in concione quædam publica, per pastorem, Ciuitatis nostræ Posonij ex suggestu denunciarj et proclamarj curasse, Vt quilibet Ciuium, suos quos haberet libros in Domum Parochiæ perlustrandos sub Juramento et poena excommunicationis, ad proximam Dominicam Oculi conferre teneatur, Quod cum Nobis haud decenter ergà Cæs.æ Mtis et nros subditos psertim fieri, et hoc colore Deuot.em T. peregrinam quandam Inquisitionem intempestiuè inibi molirj uideatur, Minime dubitamus quin Deuot. tua hac quoq in re, Decreto et uoluntati Cæs. Mtis omninò sit paritura, cum planè neq Cæs Mtas neq Nos talibus innouationibus acquiescere possemus. Id quo minus Deu.tioni tuæ clementer significaremus intermittere non potuimus: Gratia tamen ac fauore nostro Deu.onis T. de cætero semper benigne admodum complectentes. Datum Viennæ III.a Martij Anno M. D. LXIIII

MAXIMILIANVS &c

Regi Galliæ

LXVII

266

Maximilianus &c. Sedatis tandem Dei immortalis beneficio, et compositis motibus istis bellicis, alysq; tumultibus, quibus aliquandiu Vrã Serᵗᵃˢ Regnum agitatum ipsam in minoribus p̃sertim adhuc constitutam, adeousq; angebat, vt nec priuatis, nec aliorum Principum, et Magnatum rebus et negocijs p̃esse commode posset. Nos sanè Illuᵗʳⁱ Sabaudiæ Duci, fratri et consanguineo nr̃o charᵐᵒ per Oratorem suum, in Sacᵃ Cæsᵃ Mᵗᵉˢ &c. aula nunc morantem, magnopere instanti et expetenti, nr̃as ad Serᵗᵉᵐ Vr̃am literas, pro summa, qua ipsum complectimur, beneuolentia renuere plane non potuimus. Quoniam igitur ad Castella ista quod attinet, quæ Vr̃a Serᵗᵃˢ et Serᵐᵘˢ Hispaniarũ Rex Catholicus, frater et consanguineus nr̃ charᵐᵘˢ adhuc quidem detinent, sed ex vigore Capitum pacis, mense Aprili, Anno ꝯ M·D·LIX

nouissime ad Cambresiam initæ, dicto Duci restituere obligantur, Vrã Serᵗᵃˢ absq; dubio, probè adhuc meminit: Nos hic omissa longiori negotij repetitione, ea saltem, quæ nunc quidem declaranda incidunt, commemoramus. Nouit igitur inquam Vestra Serᵗᵃˢ quatuor se Castella dicto Duci in nouissima transactione liberè cessisse, penes se tamen retentis certa sub conditione, duobus alijs Pinerolio scilicet et Sauilliano, quæq; ex his dependent, et annexa sunt: Ea in re cum modò idem Dux nobis et sanguinis necessitudine, et quòd immediatè princeps, membrumq; sit Imperij, coiunctus, nostram ad opem confidenter confugiat, sanè commum cum Sacᵃ Cæsᵃ Mᵗᵃ &c. Consilio et desiderio iuuari à Nobis meritò debet.

Quapropter Serᵐᵃ Rex, frater et Consanguinee Chariss.ᵐᵃ Vt oīs porro dissensionis et discordiæ p̄cidatur materia, Equidem maiorem in modum Vrãm Serᵗᵃᵐ precamur, ne in ijs tandem, quæ et idem Dux æquissimè (nr̃a quidem opinione) expetit, et ipsa Vrã Serᵐᵃ Virtute Pacis capitum omnino debet, supra dictis videlicet duobus locis, siue Castellis, unà cum pertinentijs, et Juribus annexis, libere, et absq; diutiori mori reddendis et restituendis, difficilem

se porro p̄beat. Etenim Vr̄a Ser.ta, quod sui quidem erit officij, ex dictæ Pacis capitum sententia satagente: Nullum apud Nos planè est dubium, Ser.mum quoq; Hispaniæ Regē, quæ quidem à se eadem Capita Pacis exigunt, nulla prorsus iniecta difficultate, esse p̄stiturum: Id quod ita etiam fieri omni Nos studio & opera tam per literas, quam Oratores nr̄os (quemadmodum hoc etiam tempore sedulò facimus.) eiusdem Ser.ti nos ipsi quoq; instabimus, Præterea, quoniam Communem Christianitatis tranquillitatem, eiusdemq; Principes, in tuta et quieta bonorū suorū possessione conseruarj et manutenerj desideranter exoptamus, iterum adq; iterum Ser.me Rex rogatum Vr̄am S.tem Volumus, ne quid porrò supradictam restitutionem moretur, neq; in diem produci, sed synceram in hac animi sui beneuolentiam agnosci studeat. Quo certè eundem Ducem ad omnia addictissimi consanguinei officia sibi declaranda, cùm ipsa Vr̄a Ser.tas totum deuinciet; tùm Nos etiam ut illa allacrius p̄stet, omni sedulitate in-

ducemus, et cohortabimur, præter quòd hæc res, non ex utriusq; solùm Regni commodò et dignitate maximè fuerit, et ad firmiorem præsertim animorum Vestrorum coniunctionem, fraternumq; inter Vos amorem, pacificè et tranquillè alendum, magnoperè fecerit, Verùm et fructus hinc universum in Orbem Christianum redundauerint. Cum denique Deo permittente, fieri possit (quod adhuc diu auerti exoptamus.) Vt idem Dux, ex graui ista præsertim ægritudine, qua ipsum nuper decubuisse accepimus, reparatis vixdum viribus, porro etiam, (Vt omnes sumus.) fato subiectus, mortem prius obeat, quàm Princeps eius filius, legitimam ætatem attigisset. Atq; adeo res eius & fortunæ magnæ perturbationi expositæ relinquantur; etiamnum rogare non desinimus, ne quid hoc casu, sua quidem ex parte Vrã Serenitas dictum Principem (vel ob propinquam istam sanguinis necessitudinem, amantius etiam ab ipsa meritò complectendum.) quominus paterno suo et statu et fortunis placidè gaudeat, turbari, molestariue unquam patiatur, quin Locumtenentibus etiam suis et præsidibus, ne tale quidpiã

contra

contra eundem ipsi moliantur, grauissimo edicto et nunc et in futurum inhibeat. Haec à Sex.tate Vrã si obtinuerimus, nos certè oia tanq̃ in Nos ipsos collata, libenter agnosciturj: Quicquid Vicissim officij ab amantissimo fratre, et beneuolentissimo amico V. Sex.tas merito expectet, id ei paratissimũ semper pollicemur, fortunataq̃ insuper oia à Deo enixè peroptamus. Datum Viennae die VI.a Martij. Anno Sexagesimo quarto.

Maximilianus &c.

Gabrieli de Peren.

267.

In omnibus rebus et negotijs, quorum causa ad Nos missus erat, p̃sentium lator, Joannes Patzot Arcis tuae Patac prouisor Seruitor tuus et petitorem et monitorẽ p̃stitit sedulum: Ex quo omnia expeditionis suae capita, imprimis, quod ad transactionis inter Nos factae

ideo quod maiori Sigillo nostro adhuc non confecto, destituebamur,
(cuius tamen celerem confectionem illicò absolui debere mandaui-
mus) impedita, compositionem totam attinet, latius cognosces.
Quamre, ut omnes molestias uel alios quoscunq; labores, quos
ideo suscipere potuisses minuerimus, conuenit inter Nos, et
Ipsatum Pazot seruitorem tuum, ut literæ obligatoriæ apud
Joannem Petbe Sac. Cæs. Mtis. Consiliarium, ac Commorri-
en. Comitatus Comitem manerent, eò usq; dum transactio-
nem maiori Sigillo (quod propediem fore confidimus)
roboratam et expeditam ille tradere, et obligatorias alias lras
ad manus nras accipere possimus. Quod quidem ipsu
pro ea qua in reliquis negotijs et apud Cæs.mam Mtem et
Nos dexteritate, diligentia et sedulitate optima usus est, facturum
esse non dubitamus: Te uerò fauore gratijsq; nris, etsi
qua pterea benigni animi erga te nostri declarandi erit opor-
tunitas, unice complecti non intermittemus. id quod benigne
te celare noluimus. Datæ Vienæ IX Martij, Anno Dni
M.D.LXIIII°.

Maximilianus &c

Sigismundo Tordæ

268°

Quoniam prior Trium Regum iampridem elapsus est termi-
nus, quo scilicet tempore Regni Hungariæ status atq; ordines no-
bis decretam pensionem humiliter p̄stiterunt: magnopere ex te
scire desideramus, quantum nimirum p̄dicti status, ad nr̄am quidē
portionem quod attinet, hucusq; contulerint. oblato uero eiusmo-
di impedimento, ut nisi summo negotio p̄dictam nobis decretā
pensionem seu collationem exigere et colligere haud possis, Nos
itidem abs te clementer cupientes certiores fieri, ad hoc etiā
consilium et operam tuam magnopere expetimus, per lr̄as
nobis cōmunicari, qua ratione, modo, seu uia scilicet effectū
hæc suum sortiantur, et primo quoq; tempore ea ipsa pecunia
colligatur. Prurimi enim nr̄a ut quam celerrime isthæc tran-
sigantur interesse omnino arbitramur. Regia erga te nr̄a clemē-
tia benigne affecti Viennæ 11 Martij A° 64.

Decretum ad Consiliarios Hungaros de negotio Debrecensi,

269

Postquam Sacra Romanorũ, Hungariæ, Bohemiæq; Rgia Mtas Dominus noster Clementissimus literas, postulataq; in Debrecensi negotio Filij Regis Joannis, nec non Francisci etiam Therek desuper factam, redditamq; cum summa auxilij imploratione informationem, Sacratiss.æ Cæs. Mti Dño itidem nro Clementiss.o diligenter in Consilio proponi curauerit: Visum est ijsdem Sacmis Cæs.ae Regiæq; Mtibus. Vt primo quoq; tempore fideles Consiliarij Hungari, ad rem istam luculentius perpendendam deliberandamq; in consilium adhibeantur, nec quicq; certi nisi hac deliberatione pmissa Filio Regis Joannis Respondeatur. Rebus itaq; bene deliberatis ac maturius per fideles Consiliarios Hungaros perpensis; Sacratiss.a Cæs.a Regiaq; Mtas determinationis suæ futuræ eidem Francisco Therek benignam communicationem pollicentur. Id quod sua Reg. Mtas in psentia ipsum Clementer Celare noluit

Decretũ per Regẽ XIIIa Martij Ao M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

Regis Ioannis Filio

270 Præsentium lator Dilmi Vræ Nuntius literas eius de xiij Februarij Nobis reddidit: Quas cum pro negotiorum magnitudine Cæsa Mti Dño et Genitorj nro obseruandissimo, comunicandus in primis necessarium esse arbitraremur, id prima Nobis data occasione, quo citius rectiusq; oia considerarentur diligenter curauimus. Cæterum cum Cæsa eius Mtas, suam absolutam sententiam quid super Debrecensi negotio statuendum sit, sine luculentiorj atq; perfectiorj deliberatione declarare non potuerit, Nos etiam Dilmi Vræ Nunciũ diutius haud detinendum esse duximus: Verum ea quæ æquitatis ac iustitiæ habita ratione Cæsa sua Mtas respondendum sine mora statuerit, hoc Nos Dilmi Vræ illicò significabimus.

Quod uero de Melchioris Balassæ Stephanique Seredi attentationibus et offensionibus contra Induciarũ rationes

susceptis Dilg.tio Vrã tantopere conquæritur. Id quamuis no-
bis hactenus haud innotuerit: Auditu tamen non solum uehe-
menter molestum fuit: Verumetiam hoc ipsum factum
(si saltem iuxta Dilg.nis Vræ narrata illud acciderit) pla-
ne improbamus. Cæsarea itaq; Mg.tas quo certius quid ab
ijs peractum sit cognoscere omniumq; circumstantiarum ra-
tionem exactissimam habere et induciarũ pax eò firmius
conseruari ac stabilirj possit, inducta, Decreuit specta-
tæ fidei probitatisq; Commissarijs ad illas partes designa-
tis, rei totius curam atq; negotium comittere. Vt sz.t accepta
eorum relatione de omnibus indubitanter certificarj, ac in
posterum similia prorsus p̃cauerj queant. Ita tamen ut in-
terim Dilg.nis Vræ arbitrio et uoluntati Commissariorum etiã ex
parte sua delectio relinquatur. Qui namq; Supradictis Cæs.æ
Mg.tis Comissarijs adiuncti, omnia quæcunq; in deliberationẽ
cadere possint, perpendant, et de rebus omnibus æquè inqui-
rant. Quocirca si Dilg.tie Vrã sese quoq; ad placitum No-
strum in ordinandis deligendisq; Commissarij accommodatũ
est: Nobis id mature significari opere p̃tium erit, ut ante-

dicti Cæs.ae Mtis destinati Commissarij ad illas partes sese-
recta conferre ac deinceps cum Dilmis Vræ Commissarijs de lo-
co certo ac conueniendi tempore mox statuere possint.
Interea autem Sacma Cæsarea Mtas ab Induciarum ra-
tionibus ne latum quidem unguem, quod suis etiam pr-
fectis atq; Militibus seriose mandauit discessura est:
Modo eadem syncera obseruatione, Mti suæ ex parte Dilmis
Vræ respondeatur.
Id quod Nos de Vra Dilmo Nobis maxime pollicemur.
Quare et pfectum Dilmis Vræ in arce Munkach Georgiū
Cathay ita ut scribit Dilmo Vra acceptū esse, non solum
molestissime tulimus; Verum etiam si ita (ut Dilmo Vra
exponit) ille interceptus sit, ut libere mox dimittatur,
ipsiq; potestas ad suos redeundi relinquatur, inter cæ-
tera, speciali expressoq; mandato Francisco Zay, præ-
sertim Balassæ iniunctum est.
Qua in re Dilmam Vram non minus quam in Delibera-
tione ac Tractatione pfata acquieturam & hac qui-
dem uice contentam futuram omnino persuasum ha-
bemus p Viennæ 15 Martij 64.

Maximilianus &c.

271 Mag.ce f. n. d. Magni refert, testimonia benignitatis, merita ipsa, non interitura gratia, considerate et dignis conferre. Quam consuetudinem, non modo à Diuis Regibus et laudatissimis Principibus, p̄decessoribus nostrisq; maioribus, tanq̄ hæreditarium quoddam munus accepimus. Sed excitata et penè innata nostra natura, obseruauimus. Et post imitationem quandam, usu confirmato exprimere consueuimus. Eam, et fideli nobis dilecto, Caspari Pechy Sac.æ Rom. Imp. M.tis, domini & Genitoris nr̄i obseruandissimi aulico, declarare uolentes. Fidelitati tuæ demandare his uoluimus, ut nuptiarū eius celebrationi, cum Generosa Virgine Margaretha Dochy, filia uero Eggi Nicolai Dochy de Nag Lucina quam in consortem legitimā ducere constituit, stato tempore, in persona M.tis nostræ interesse uelis. Eumq; iuuare, nr̄a q̄ in uicari persona,

tibi nunc attributa, celebritatem nuptiarum eius, ornare, et per:
ficere debeas. Munus uero nrum, quod proximis Comitijs, ipsi
Gasparo Pechy dari Posonij in eum usum, mandauimus, of:
feras. Factura in eo, nobis rem gratam, et à Regia nra
gratia, tibi referendam. Viennæ xv Martij 64.

Maximilianus &c
Sigismundo Tordæ.

272 Grata nobis fides, et in patrimonio coronæ, se domanij. et regali
bus augendis, diligentia tua est. de quo Oppido Keckemet,
et alijs rebus, de quibus Nos informas, post deliberabimus.
Responsum aut tuum, et subiectionis significationem, ad
nram sententiam et uoluntatem accomodatam, de munere
Secretariatus in Camera nra Hungarica Honesto fideli
Nobis dilecto, Georgio Albano aulico nro collato, liben:
ter audiuimus. Cuius in lris peritiam, et persona
non modo insignium aliquot Virorum, et fidelium nostrop

Consiliariorum comendatione nobis iam comprobatam. Sed obsequium, fidem, et diligentiam in nris seruitijs ipi demandatis hoc itinere, habemus exploratam et probe perspectam.

Proprio igitur motu et deliberata uoluntate ad id muneris, præ cæteris cum adhibere uoluimus idoneam personam iudicantes. Significantes tibi, ut si qui, ab Archiepo aut alijs, officio huic mgererentur, uel quid' suggereretur memor nræ uoluntatis et prioris Comendationis sis. Hanc q; nostram Voluntatem Egregijs fidelibus nobis dilectis, Consiliarijs Cameræ Hungaricæ collegis tuis, significes uolumus. Officium in eo gratum in te agnoscituri, et benigna nra gratia testimonia tibi polliceare. Viennæ VI. Martij Anno M. D. LXIIII.

Cardinalis Borromeo,

Maximilianus &c. Etsi ea quæ Pater.tas Vra Rma
275° ad Nos scripsit de Paterna Sanctis suæ erga Nos uoluntate, deq; eius propensione in promouendo ad Cardinalatu Rdum Deuotum sinceri Nobis dilectum Zachariam Epum Pharensem Sti suæ Nuntium, grata Nobis summopere fuerunt: Recognouimus enim suæ Sti erga Nos sincerum animum, Vriq; Pater.tis Rmæ erga Nos beneuolentiam: tamen quia protrahi, quod sine mora perfici exoptamus, tam ex Pater.tis Vræ Rmæ quam ex Oratoris Cæs. Mtis literis præter expectationem Nostram percepimus, quin imo uidemus rem quasi ad ampliorem Cæsareæ Mtis ac nrm declarationem esse reiectam, Scripsimus ad eundem Suæ Mtis Cæsareæ Oratorem ut nro nomine uehementer etiam atq; etiam roget Stem Suam, uelit iam tandem in re æquissima et honestissima Mti Cæsareæ ac Nobis sine ulteriori mora gratificari, persuasumq; habere, fore id utriq; nrum maximopere gratum, filialibusq; nris studijs sedulo compensandum.

Faciet igitur Nobis Pater.tas Vra Rma rem acceptis:

simam, obliuionique nullo tempore tradendam, si suas de-
nuò partes ita interponet, ut voti compotes iam tandē
reddamur, persuasumque sibi habeat uelle Nos curam
hanc seriò solicitare. Deus Æternus Rmam V. Dominationem
diù incolumem conseruet. Viennæ XVII Martij
Anno M.D.LXIIII.

Maximilianus &c

Oratori Romæ

274 Accepimus literas tuas XIX. Februarij ad Nos datas,
Ex ijsque percepimus, quid tibi à Sto. sua de promotione
Rdi. deuoti sincerè nobis dilecti Zachariæ Epi Pharen.
Sti. S. Nuncij responsum sit, quod profectò ut animi nri
sententiam edamus, à nra expectatione ualdè fuit alie-
num, uel si Cæsam Mtam. et Nos, qui unà pro hac promo-
tione contendimus, intueamur: uel si personam quam

proposuimus spectemus, de qua Cæs.ae Mtas, ac Nos qui eā nouimus per decennium ite censemus, ut uitæ ac morum integritate, multarumq; rerū scientia ac prudentia p̄clarisq; de S.to S. et Sede Ap̄lica benemeritis, cuiuis alteri uirtute p̄stanti conferri merito possit. quare is et sui similes quorum copia optanda esset, Cæs.ae S. Mtis ac n̄ro iudicio sine aliqua intercessione essent promouendi. Sed cum talis n̄ri temporis conditio sit, uiderimusq; nos com̄endationem Cæs.ae Mtis et nostram aliter atq; sperauimus et expectauimus fuisse acceptam: latere te nolumus, quodsi huic rei prima manus nobis esset adhibenda, ab ea prorsus abstineremus. maximè quod p̄nominati Pharen. Ep̄i uirtutes ita per se bonis omnibus notæ sunt, ut quāuis dignitatis Cardinalitiæ consequendæ spes omnis auferretur ab eo, iter nihilominus ad alios honores adipiscendos ipsi minimè intercluderetur, nec ablata nobis facultas esset, quin re et effectu noster erga illum uere propensus animus innotesceret. Cæterum cum eousq; intercessio Sac.ae Cæs. Mtis et nostra prouecta sit, uoluntas ut huius rei finem ultimū et extremū effectum, sollicite cures, quod ut citius et sa-

tius ualeas procurare, duximus te de ijs, quæ super hoc ipso S.tis responso perpendimus, nobisq; in mentem uenerunt, reddere certiorem.

Cum itaq; eiusdem responsi S.tis S. summa hæc sit, moris non esse unicum Cardinalem creare, adeo ut uix hoc faciendum censeret pro filio Regis: præterea, quod creandi non sit nunc locus aut tempus: quod S.tus S. certiores nos reddet de futura promotione: quodq; tandem si à nobis id contendetur, nempe ut in eorũ ordinem ꝓfatus Epus Pharien. cooptetur, S. S.tus illum minimẽ ꝓteribit: uolumus (ut ad responsionem descendamus) scire te, quod ad primum, prædecessores multos S.tis S. per longa tempora Card.les amicos creasse. Paulus IIII fecit id bis: bis Iulius III: septies Paulus III. quater Clemens VII. &c. et quoniam maior pars eorum qui amici promoti fuerunt, uel ad cõmendationem Principum uel ob priuatas Summorũ Pontificum causas promotos fuisse planum est, conijcies facile, quod si S.tus S. in eo quoq; nobis benigne morem gessisset, nihil sane noui aut inuisitatj

ad nos tram instantiam statuisset.

Ad alterum uero nempe tempus hoc minime idoneum ad promotionem faciendam uideri: licet nos S.ti S. leges p̄scribere non instituerimus, tamen responso hoc tibi dato prouocati admonendum te duximus, Nos, exemplo tamen prædecessorum S. S.tis freti atq; impulsi, persuasos hactenus extitisse pro simi: lib. Epi Pharen. promouendis, proq; S.tae Sedis auctoritate apud inclitam nationem Germanicam tutius retinenda à M.tis Cæs.a et nobis intempestiuam aut importunā petitionē fieri nequaq; potuisse. quod ipsum tu si rationem in consilium adhibueris, non secus diiudicare posse facile perspicies, p̄sertim cum Sacra Cæs.a M.tas et nos dum id ursimus, rem Aplicæ Sedi utilissimam, Sacroq; Collegio honorificentissimam nos ursisse certissimus.

Quod autem tibi dictum fuerit, à S. S.te certiores nos iri redditos, quo tempore ipsa de creandis Cardinalib. cogitabit: sane quid hæc sibi uerba uelint non intelligimus, exploratumq; tibi esse uolumus, ignorare Nos qua ratione hæc Theorica ad praxim aut actionem redigi possit. obstat enim

qui inoleuit creandorum Cardinalium stilus, persuasumq; nobis est id non fuisse abs te requisitum; multoq; minus factu opus esse. Quare ut censemus oblationem hanc, licet nomine uideat aliquid præse ferre, pro nihilo tamen re ipsa habendam tibi esse; ita postq; in procurationem et curam istam ingressi sumus, uolumus ut omnia serio tentes, ne honestissima atq; æquissima nostra hæc postulatio genus ullum repulsæ aut procrastinationis amplius patiatur.

Ad quartum uero duximus tibi significandum, uerba illa S. S^tis plus cæteris in admirationem nos concitasse. nam cum nos una cum Sac. Cæs. M^ta S. scripserimus toties ac ~~rest~~ rescripserimus expressam in eo mentem, desideriũ, ac firmissimã uoluntatem nr̃am, expectabamus S^tem S. cuius paternæ erga nos beneuolentiæ plurimũ confidimus, honoris nr̃i ergo potius in medium producturã, quod omnem repetendi aut replicandi ansam rescissurum fuisset; quam perplexis uerbis, aut minus aperto responso, moraq; à nobis non expectata in=

terposita, ad eadem repetenda nos prouocaturam. Ne igr
hac opinione frustratj esse uideamur, ac deniq; ut quid istinc
sperare Nos liceat cum serio agimus, exploratum habeamus,
adiunctas his lr̃as, ad S.tem S. super hoc tantum desiderio
et expectatione nr̃a dare decreuimus, clementerq; tibi
mandamus, ut comunicato consilio cum R.mo D. Card.lo
Borromeo amico nr̃o charissimo eandem S.tem S. rursus
conuenias, petitionisq; nostræ causas his atq; alijs nr̃is
in lr̃is, quas præ manibus habere te non dubitamus,
contentas ita explices atq; exponas, ut quod tantopere
optamus et serio uolumus iam tandem consequamur,
et quantum in te erit summo studio, diligentia, labore,
omnibusq; animi tui sensibus rem et negotium hoc ad
optatum finem perducicures. Vbi uero aliquis insti:
tutum hoc improbare uel personæ aliquid obijcere
moliretur, quo talium conatus facilius euertatur
fidem ipse tuam coram S.to S. et ubicunq; erit opus,
nr̃o nomine interpones id Sedi ~~Aplicæ~~ Aplicæ uere

utile, Sacroq; Collegio uerè honorificum esse futurum, Nec pa:
tiaris in persona eiusdem Pharen. Epi offendi personā S. S.tis
Cæs.ae M.tis ac nr̄am à quibus ipse meritò est approbatus.
Et quoniam si S. S.tas perpenderit, quanti momenti illud sit,
quod Cæs.a M.tas, ac Nos sæpe scripsimus, nempe sæpeno:
minatum Pharen. Epūm accessione propositæ à nobis dig:
nitatis auctoritate in negotio Religionis iuxta piam S.tis
S. mentem promouendo apud inclitam nationem Germanicā
magis esse ualiturū, sentiet pariter atq; cognoscet eidem S.ti S.
occasionem satisfaciendi nobis nequaquam deesse: Volumus
te S.tam eius nr̄o nomine reuerenter denuò commonefacere,
sperasse nos, licet causa per se non sufficeret, sperasse, inquā,
nos ut si non illius qui comendatur, saltem eorū qui com:
mendant, ratio, ut par est, haberetur. Maximè quod om:
nibus planè constat, quid S.tas Sua, cui seriò gratificari
uult, facere solita sit. Et quoniam ea res, tam nobis cordi
est, quàm quæ maximè speramus S.tam S. quæ alijs plu:
rimis in rebus paternè nobis annuit ac morem gessit,
hac etiam in re quam summi beneficij loco semper habe:

bimus, nec ex memoria nra unq; excidet, benigne nobis ac sine ulteriori mora esse satisfacturam.

Postremò uolumus ut nro nomine Rmo D. Cardli Borromeo de labore, quem hac in re tractanda cum Sta S. ita libes suscepit gratias agas, rogabisq; Rmam eius Paterm (cui ut sensum et desiderium nrum apperias, uolumus) desistere nolit pro ea qua merito apud Stam S. gratia pollet, donec quod cupimus consequamur. Rmæq; Paterti eius indicabis Nos Rmum D. Cardlem Moronum requisiuisse ne sua studia cum studio Ptis S. Rmæ pro eo quod Sedi Apticæ tam utile, nobisq; tam gratum futurum est, coniungere grauetur.

Datum Viennæ XVII. Martij Anno &c. 64./

Cardinali Morono.

Maximilianus &c Scripsimus ad Oratorem Comitem Prosperum &c. ut quòd hactenus cum Sta Sua nro

275.

nomine egit, quid insuper ab eadem S.ta Sua responsi acce:
perit, ac quid ulterius à Sac.a Cæs. M.ro et Nobis Super:
inde requiratur, cum Pat. Vrã R.ma conferat. Quare uehe:
menter ab illa petimus si unq; seriò nobis gratificari co:
gitauit, uelit desiderium hac in re nostrum ita iuuare, ut ex:
tremam iam illi manum impositam esse audiamus, efficiatq;
apud S.tam S., quam ex animo ueneramur, ut quæ Sac.a Cæs.
M.ri ac nobis uerè cordi esse sentit atq; cognoscit, ea be:
nignitate amplectamur, quæ nostrum de ea p̃clarum iu:
dicium confirmare, Cæsareamq; suam, & nostram Regiã
dignitatem retinere. Nec non utriusq; nostrum filialem
ergà suam S.tam obseruantiam roborare ualeat Deus
æternus R.mã Pat. Vrãm diu incolumem conseruet.
Datæ Viennæ die XVII Martij Anno M.D.LXIIII

Summo Pontifici

LXVIII. 276° Scripsimus ad Comitem Archi ut de promouendo ad

Cardinalatum R.do Epo Pharen. cum S.ta Vra perdiligenter denuo agat, at quoniam is de tota ea re mentem Caes.ae M.tis & nostram latius exponet, S.tam Vram rogamus, ut uerbis eius tantum fidei habere dignetur, quantum nobismet ipsis haberet si psentes eam alloqueremur: maximeq; persuasum habeat S.tas Vra quod factura est in eo nobis rem apprime et summopere gratam, obliuioniq; à nobis nunq; tradendam. Datu. Viennae XVII. Martij Anno M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

Regis Joannis Filio

LXIX. 277 Illu.is Princeps Consanguinee noster chariss.e Etsi Sacra Romanorum Imperatoria M.tas Dnus et parens noster Obser.mus cum Dil.ne Vra ad Nostram et Ser.mi Regis Poloniae fris Sororij, et consanguinei Nri chariss. intercessionem Inducias fecit, Caes.ae suae M.ti Summae semper curae fuit, Vt pro

parte Mtis suæ eiuscemodi Induciæ Sancte & inuiolate obser-
uarentur neq; cessauit Mtas sua pfectos et officiales suos, creber-
rimis ac firmissimis mandatis fatigare et coërcere, ne quid con-
tra Dilnem Vram, et eiusdem ditionem pfectos milites subdi-
tos hostiliter attentarent, Et si quando compertum fuit, per
aliquem quippiam contra huiusmodi mandata Mtis suæ Cæsæ
commissum esse, id Mtas sua Cæsarea non dissimulauit, sed ut
iustum et æquum esse existimauit, in ea parte prouidere cura-
uit; quin etiam sese hucusq; satis propensam declarauit ad
suscipiendos interiores cum Dilnis Vra firmæ pacis atq; con-
cordiæ tractatus. Vbi quidem (quod non exprobandi ani-
me dicimus) Dilni Vræ syncerum et beneuolum studium No-
strum in promouenda huiusmodi firma pace et concordia
minime defuit. Et quamuis etiam, tum Mtas Sua Cæsarea,
tum nos quoq; persuasum habuimus Dilnem Vram, in obser-
uatione Induciarū eandem curam et solicitudinem adhibitu-
ram, atq; etiam ad stabiliendam certam ac firmam pacē
propensiorem animum declaraturam, adeoq; Mti Cæsæ &
Nobis eadem integritate responsuram: Tamē quæ in dies

ex istis finibus ad Cæs.am M.tem et Nos certis authoribus per:
feruntur non modò de quotidianis p̄fectorum officialium et
militum Dil.nis V.ræ iniurijs, quibus fideles Cæs.æ M.tis Sub:
ditos p̄fectos ac milites, indesinenter afficiunt, ditionem
Cæs.æ Suæ M.tis incursando, et omne genus uiolentiarum
exercendo: Verum etiam de illis quæ ipsamet Dil.nis V.ra con:
tra M.tis Suæ Cæs.æ Ditionem ac fideles subditos non obscurè
moliri dicitur, expectationi N.ræ nequaq̄ satis faciunt.
Quia nolumus Dil.nem V.ram latere quod M.ti Suæ Cæs.æ pro
re certa relatum sit, Dil.nem V.ram nuper quinq̄ Comitatibus
Beregh Vgocha Zathmar Zabolch et Zolnack mediocri di:
cam unius floreni imposuisse, et uelle insuper exigere me:
diam quoq̄ partem Subsidij Nobis in proxime præterito
Conuentu Posoniensi oblati. Præterea Dil.nem V.ram bellicos
apparatus facere, atq̄ iam Colosuarij non modo Aulicum
Dil.nis V.ræ Comitatum, sed etiam ex omnibus Transylua:
niæ partibus gentes congregari. Ad hæc Dil.nis V.ræ
n̄oīe ac iussu etiā extra Transyluaniā, utputa Debre:
cenij, Varadini, in Munchach et Hwzth, alijsq̄ passim

in locis, milites conscribi, & stipendia proclamarj, eaq; in re nullis parci sumptibus: Siquidem nuper Franciscus Nemethÿ officialibus suis negotium dederit quãtascunq; possẽt copias, equestres & pedestres conscribendi, nulla prorsus impensarum ratione habita, idemq; fierj per Officiales Georgÿ Bathorÿ in Chychwa existentes.

Præterea solicitarj perquàm assiduè ad rebellionem et defectionem ꝑfectos milites et subditos Cæs.ae Mtis amplissimis stipendijs et pecunijs propositis, neq; profecto plebeios homines aut gregarios milites tantum, Sed etiam Nobiles ac Præfectos, seu Capitaneos Cæs.ae Mtis, adeò ut nuper quidam Andreas Aranyassÿ, qui à Sũpmo Capitaneo Cassouien. cum certo Equitum et peditum numero, ad exigen. ꝑsentem Dicam in Comitatu Zolnak mediocrem expeditus fuerat, Victus assiduis solicitationibus, blanditijs, et pollicitationibus Stephani Bathorÿ, famam et honorem suũ ac fidem et fidelitatem Mti Suæ Cæs.ae ut uero ac Legitimo Hungariæ Regi et Dño suo debitam, promissis dicti Bathorÿ, postposuerit, et seducto uniuerso illo equitatu

et pedita:

et peditatu cum vexillo et tubicinibus ad partes Dilectionis Vrae de=
fecerit et rebellauerit: Quemadmodum eundem Stephanum Ba=
thorij sicut et caeteros Dilectionis Vrae Officiales, in solicitandis
ad defectionem et alijs quoque fidelibus et obedientibus Maiestatis
Suae Caesareae Subditis, praefectis, et militibus, strenuam operam
nauare accepimus. Et praesertim si quis ex subditis Caes. Maiestatis
habet Castrum aut locum aliquem ad fortificationem Idone=
um, et loco ad inuadendam et occupandam seu diminuendam
Ditionem Maiestatis Caesareae opportuno situm, is maximo studio et
plurium, magisque fructuosorum honorum oblatione ad faci=
endam permutationem instigari solet.

Quae omnia profecto ut sunt à ratione et aequitate aliena, dum
fiunt Induciarum tempore, ita pactis conuentis prorsus
etiam repugnant. Quia Dilectionis Vra facile reminisci potest,
Inter conditiones Induciarum expresse constitutum fuisse,
quod sub ijsdem Induciis Neuter deberet alterius milites,
Subditos, Vrbes, terras, loca, Castra, Arces et quaelibet
bona mobilia uel immobilia, contributiones, Dicas, Trice=
simas, prouentus cum seruitijs hostiliter inuadere, turbare,

D.

molestare, occupare, uel opprimere, seu quocunq; ꝑtextu siue colore ditionem suam in ꝑiuditium alterius extendere & proferre, sed quod oīa deberent pacata et tranquilla manere.

Cum igitur nec Sac. Cæs. Mtas neq; Nos ipsi ex his colligere possimus, quid nam sibi uelit Dilctio Vra, Quandoquidem hæc quæ comemorauimus non pertinent ad pacem, concordiam et bonam uicinitatem colendam, neq; etiam consentanea sunt ijs, quæ hactenus hinc inde tractata fuerunt: sed potius animum ad motus & turbas excitandas propensum indicant, Cæsareæ uero Mtis Suæ ac fidelium subditorum suorum intersit certam de uoluntate ac mente Dilctionis Vræ notitiam tenere: Visum fuit Cæsareæ suæ Mti, ut de ijs omnibus Dilctionem Vram per literas beneuole admoneremus, et in quam partem hæc accipienda essent ex Dilctione Vestra cognosceremus. Itaq; Dilctionem Vram hortamur et studiose requirimus, Primum, Vt supradictis quinq; Comitatibus Beregk, Wgocha, Zathmar, Zabolch, et Zolnock mediocri ultra dimidiam oblati subsidij

partem nihil soluendum imponat: Deinde ut continuas p̄-
fectorum et militum suorum excursiones, uiolentias &
iniurias seriò cohibeat, neq; iubeat aut patiatur ab ijs-
dem fideles p̄fectos, milites, et subditos M.tis Cæsar.ae
ad rebellionem & defectionem solicitarj et instigari, sed
eos qui iam durantibus p̄sentibus inducijs defecerunt,
illicò dimittat, atq; à se repellat, nec eos à suis Officialibus
uel subditis receptari aut foueri sinat, neq; etiam cum quo-
q̄ subditorum Cæs.ae M.tis de Castris, locis, & bonis ipso-
rum permutationem aut alium contractum M.ti Cæsareæ
uel ditioni eius periculosum, seu dagnosum ineat Dil.nem em̄
Vr̄am p̄terire nolumus hoc Induciarum tempore Cæs.ae M.ti No-
bisq; aliquot eiusdem Dil.tis Vr̄æ Officiarios & Nobiles ab ea
abalienandi atq; nostrarum partium faciendi occasiones
quidem obuias non defuisse: Nisi Inducias pactaq; con-
uenta pluris, quam commodum aut emolumentum nr̄um
facere uoluissemus. Quapropter si afflicti istius Nostri
Hungariæ Regni conseruatio et incolumitas, ac publica
pax et tranquillitas Dil.tis Vr̄æ cordi est, sicuti ante-

hac uisa fuit præseferre, necesse erit, quòd Dilp^tio Vr̃a con:
ditiones induciarum sanctè et candidè obseruet, nihilq;
uel clandestinis tractatibus, uel ui aperta in detrimen:
tum M^tis suæ Cæs^ae ac fidelium eius subditorũ moliatur;
aut ab Officialibus et præfectis subditisue suis attentari
permittat: sed ut omnia pacata & tranquilla maneãt,
in eo statu quo fuerunt eo ipso tempore quo præsentes
Induciæ initæ et firmatæ sunt, Ita namq; Dilp^tio Vr̃a
sibimet et subditis suis optimè consulet, nostramq; erga se
propensam Voluntatem conseruabit et augebit.
Et quoniam super his n̄ris æquissimis & Iustissimis po:
stulatis, à Dilp^tio Vr̃a clarum et maturũ responsum ex:
pectamus hasce l̄ras n̄ras huic N̄ro Seruitori auli:
co, Georgio Albanij fideli nobis dilecto summa celeri:
tate ad Dilp^tionem Vestram perferendas dedimus, eumq;
cum responso pro quo sedulò instare debebit, pari celeritate
recurrere iussimus. Quare desyderamus eum à Dilp^tio Vr̃a
sine longiori dilatione expediri et ad Nos remitti, Cui quod
reliquum est. beneuolentiam Nostram Regiam deferentes;

prosperam Valetudinem et omnem salutem optamus. Datum
Viennæ XXVI.ta Martij Anno M.D.LXIIII.



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg